



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Art. II. An Christus, inquantum homo, sit formaliter filius Dei naturalis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

lius Dei naturalis non esset, ut constabit ex infra dicendis: Ergo si ex eo præcisè excludatur filiatio adoptiva à Christo, quod filius Dei naturalis est, Spiritus Sanctus naturam humanam assumens, filius Dei adoptivus esset.

37. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, ad cuius primam probationem, nego Antecedens, ut enim dicemus articulo sequenti, Christus in quantum homo est filius Dei naturalis formaliter, *ly in quantum* determinante in recto non naturam, sed suppositum ut in illa subsistens, non reduplicativè, sed specificativè; unde Christus, etiam in quantum homo, & prout subsistens in natura humana, est incapax filiationis adoptivæ: ad adoptionem enim, ut supra dicebamus, requiritur persona extranea, ut constat ex ejus definitione: licet autem Christus ut homo, seu ut subsistens in natura humana, sit naturæ extraneæ suppositum, non tamen est persona extranea: sicut licet in quantum homo sit suppositum naturæ finitæ, & à Deo distinctæ, non tamen est persona finita, nec distincta à divina Verbi persona.

38. Ad secundam dicendum quod licet in humanis & civilibus, filius naturalis extra patriam potestatem existens, posset olim adoptari à Patre, & per adoptionem ad ipsum revertere, repugnat tamen filium Dei naturalem, ejus filium adoptivum fieri: nam in jure civili Romanorum, filius extra patriam potestatem existens, privabatur omni jure ad patris hæreditatem; & quia solum hoc jus attendit civilis consideratio, fit ut in consideratione civili filius naturalis non esset, ac proinde capax existeret civilis adoptionis: filius autem naturalis Dei, semper est in consideratione Theologica filius proprius, naturalis, & verus, cum quo non comparitur esse filium adoptivum; nam ut supra ex Concilio Francofordiensi ostendimus, adoptiva filiatio dicit negationem filiationis veræ, naturalis, & propriæ.

39. Ad tertiam nego Majorem: Ut enim egregiè discurrit S. Thomas quod lib. 9. quæst. 2. art. 4. forma competens supposito ratione naturæ, respicit naturam ut per se primum subiectum, ut constat in passione, morte, aliisque passionibus & actionibus, quæ quia supposito ratione naturæ competunt, respiciunt naturam ut subiectum per se primum: Sed filiatio non respicit naturam ut primum subiectum sui: Ergo non convenit supposito ratione naturæ, sed immediatè comparatur ad personam. Probatur Minor: Forma respiciens naturam ut per se primum subiectum, denominat per se primum naturam, & ratione illius personam, ut in eisdem exemplis actionis & passionis conspicitur, quæ quia primatò comparantur ad naturam, & ratione illius attribuuntur supposito, denominant per se primum naturam: Sed filiatio non denominat naturam, hæc namque nec filia nec pater dicitur: Ergo natura non est primum filiationis subiectum.

40. Dices cum Petro Hurtado, cui hæc ratio D. Thomæ displicet: Si humanitas produceretur sine aliqua subsistentia (quod plures censent possibile) verè esset producentis hominis filia: Ergo filiatio potest denominare, denominatque naturam. Consequentia patet, Antecedens probatur, Humanitas in illo casu esset per generationem producta, utpote cum illius productio esset origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ: Ergo verè esset genita, & consequenter gignentis hominis filia.

A Respondeo negando Antecedens, ad cuius probationem dicendum quod filiatio omne genitum non denominat, sed solum genitum completè & perfectè tale: humanitas autem sine subsistentia producta, non esset genita secundum perfectam denominationem geniti, & ideo non esset filia.

Ad ultimam probationem Minoris principalis, nego sequelam Majoris; licet enim à Spiritu Sancto, in casu quo humanitatem assumeret, non excluderetur filiatio adoptiva, ratione filiationis naturalis, quæ ipsi non competit, cum ex vi suæ processionis non procedat in similitudinem naturæ, ut in Tractatu de Trinitate declaravimus, ob aliam tamen rationem filiatio adoptiva ei non competeret, quia nimirum adoptio petit extraneitatem personæ, id est personam distinctam ab adoptante, & non habentem ab intrinseco jus ad hæreditatem: at verò Spiritus Sanctus, ut homo, non esset persona extranea à Deo, cum non esset personaliter distinctus à seipso ut in Deitate subsistente, jusque ab intrinseco haberet ad hæreditatem Dei, subindeque filius ejus adoptivus non esset.

ARTICULVS II.

An Christus, in quantum homo, sit formaliter filius Dei naturalis?

C Christum ut hominem in sensu materiali & identico esse filium Dei naturalem, fatentur omnes Theologi, nec ab aliquo potest negari, est enim veritas fidei, eadem certitudine tenenda, quæ credimus mysterium Incarnationis, consistens in unione duarum naturarum in persona Verbi, quæ filius Dei naturalis est. Unde Joan. 1. dicitur: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Solum ergo difficultas est, & controversia inter Theologos, an in sensu formali sit verum, Christum ut hominem esse filium naturalem Dei? *ly ut* determinante naturam humanam, vel suppositum terminans humanitatem, specificativè, aut reduplicativè.

Prima sententia docet Christum in quantum hominem esse filium Dei naturalem, *ly in quantum* determinante & reduplicante naturam humanam. Hanc tenent Suarez, Vazquez, Beccanus, Hurtado, & alij ex Recentioribus; qui tamen in eo differunt, quod Hurtado existimat, Christum in quantum hominem, esse filium Dei naturalem, filiatione fundatâ in humanitate quatenus Verbo unitâ. Alij verò asserunt, Christum ut hominem esse filium Dei naturalem, filiatione fundatâ in sanctificatione humanitatis à Verbo.

E Secunda negat Christum ut hominem, sive *ly ut*, vel *in quantum*, determinante naturam; sive determinante specificativè, aut reduplicativè suppositum ut in humanitate subsistens, esse in sensu formali filium naturalem Dei. Ita Franciscus del Castillo disp. 17. quæst. 1. parte 4.

Tertia, quæ in schola D. Thomæ communis est, & quam Delugo, Ragusa, & alij ex Patribus Societatis amplectuntur, docet Christum ut hominem, *ly ut* reduplicativè aut specificativè determinante naturam humanam, non esse filium Dei naturalem, determinante tamen suppositum terminans humanitatem, esse filium Dei naturalem, filiatione fundatâ in generatione æterna, & per gratiam unionis humanitati communicata.

§. I.

Duplici conclusione proposita difficultas resolvitur.

Dico primò: Christus, inquantum homo, (ly inquantum reduplicante humanitatem Verbo unitam) non est filius naturalis Dei, filiatione fundatâ in humanitate, quatenus Verbo unitâ, aut in sanctificatione humanitatis à Verbo.

45. Prima pars probatur primò contra Hurtado: Filiatio naturalis petit superactionem naturalem, non autem super liberam & voluntariam fundari, ut communiter docent Theologi: Sed actio creativa humanitatis, & actio unitiva illius ad Verbum, non sunt Deo naturales, sed liberæ & voluntariæ: Ergo super illas nequit filiatio naturalis fundari, ac per consequens Christus ut homo non est filius naturalis, filiatione fundatâ in humanitate, quatenus unitâ Verbo.

46. Probatur secundo eadem pars: Filius naturalis est qui à patre per naturalem generationem procedit: Sed Christus, quatenus homo, ratione naturæ humanæ Verbo unitâ, non procedit à Deo naturali generatione: Ergo ut sic non est filius naturalis Dei, filiatione fundatâ in humanitate, quatenus Verbo unitâ. Major patet, Minor probatur. Generatio, ut communiter definitur à Philosophis, est origo viventis à vivente coniuncto in similitudinem naturæ: sed Christus, quatenus homo, non procedit à Deo ut vivens à vivente coniuncto in similitudinem naturæ: Ergo ut homo, & ratione naturæ humanæ, non procedit per generationem à Deo.

47. Respondet Hurtado, negando utramque partem Minoris: Deus enim (inquit) est coniunctus substantialiter Christo ut homini, mediâ subsistentiâ Verbi, quæ substantialiter identificatur cum Deo. Deinde natura humana, etsi divinæ non sit similis specificè, est tamen illi similis analogicè.

Sed contra primò: Ad generationem naturalem requiritur quod sit à principio coniuncto, conjunctione per se causante vel communicante similitudinem in natura, ut communiter docent Philosophi, & patet ex ipsâ quidditate & definitione generationis, quæ est origo viventis à vivente coniuncto in similitudinem naturæ: his enim verbis significatur ad generationem requiri quod vivens per se causet vel communicet similitudinem in natura: Sed personalitas Verbi, quâ Christus ut homo coniungitur substantialiter Deo, non dat formaliter & per se naturæ similitudinem, nec illam causat per se; humanitas enim non causatur per se à Deo quatenus trino, sed solum quatenus uno: Ergo Christus ut homo, non est à Deo ut à principio coniuncto, conjunctione sufficiente ad rationem generationis naturalis.

Addo quod, si conjunctio humanitatis ad Verbum, sufficiens esset ut diceretur Christus ut homo naturaliter genitus à Deo, sequeretur esse magis filium naturalem sui, quàm Patris, vel Spiritus sancti, humanitas enim est magis conjuncta Verbo, quàm Patri, vel Spiritui Sancto.

Deinde falsum est quod ad generationem viventium sufficiat similitudo analogica: vermes enim producti ex humore putrido in homine, etsi viventes sint, & à principio coniuncto vitali actione procedant, non dicuntur geniti generatione viventium, nec similiter capilli geniti dis-

Tom. IV.

A cuntur generatione naturali: Sed non ob aliam causam, nisi quia non assimilantur specificè cum principio à quo procedunt: Ergo similitudo specifica termini geniti cum principio generante, est de ratione generationis viventium.

Secunda pars conclusionis, quæ assertit Christum ut hominem non esse filium Dei naturalem, filiatione fundatâ in sanctificatione humanitatis à Verbo, expressè docetur à D. Thoma infra quæst. 32. art. 3. in corp. his verbis: *Christus est filius Dei secundum perfectam rationem filiationis, unde quavis secundum naturam humanam sit creatus & justificatus, non tamen debet dici filius Dei, nec ratione creationis, nec ratione iustificationis, sed solum ratione generationis æternæ, secundum quam est filius Patris solius.* Ergo juxta D. Thomam, in Christo respectu Dei nulla est filiatione fundata in sanctificatione humanitatis à Verbo, sed tantum filiatio in æterna generatione fundata.

B Ratio etiam quàm S. Doctor insinuat, id suadet: Nam quod dicitur de aliquo secundum rationem perfectam, non potest dici de eodem secundum rationem imperfectam: Sed filiatio ratione sanctificationis à Verbo, vel à Divinitate unita, est imperfecta, & veluti quædam imitatio filiationis naturalis: Ergo persona Christi, quæ ratione æternæ generationis, est filius Dei secundum perfectam rationem, est incapax filiationis fundatæ in sanctificatione humanitatis à Verbo.

Deinde, Esto Christus esset capax talis filiationis, non posset tamen ratione illius dici filius naturalis Dei: filiatio enim naturalis petit pro fundamento naturalem generationem; sanctificatio autem humanitatis à Verbo, non potest dici naturalis generatio, cum ratione illius humanitas non vivat, nec à Verbo procedat in similitudinem naturæ. Præterquam quod, si ratione sanctificationis humanitatis à Verbo, Christus ut homo diceretur naturaliter genitus, sequeretur ipsum ut hominem magis esse dicendum filium Verbi, vel Dei, ut communis tribus personis, quàm filium Patris: Sed hoc dici nequit, ut infra ostendemus: Ergo nec illud. Sequela patet, nam humanitas Christi magis immediatè sanctificatur à personalitate Verbi, & à Divinitate tribus personis communi, quàm à personalitate Patris, quæ solum per concomitantiam & circumincessionem, residet in humanitate Christi.

Dico tertio: Christus, inquantum homo, per gratiam unionis est filius Dei naturalis formaliter, ly inquantum determinante in recto, non naturam, sed suppositum ut in illa subsistens, non reduplicativè, sed specificativè.

E Prima pars conclusionis ostenditur primò: Christus, inquantum homo, est filius naturalis Dei, ut multoties asseritur ab Adriano I. in Epistola ad Episcopos Hispaniæ, sub nomine filij proprii: Sed hoc verificari non potest in sensu materiali & identico: Ergo Christus, inquantum homo, est filius Dei naturalis formaliter. Probo Minorem: Christum inquantum hominem esse filium naturalem, aliquid addit ad hoc quod est Christum hominem, esse filium naturalem, sine particula *inquantum*: Sed hæc secunda propositio petit ad sui veritatem, Christum hominem esse filium naturalem Dei, saltem in sensu identico & materiali: Ergo prima ad sui veritatem exposcit, Christum esse filium Dei naturalem in aliquo sensu formali.

SSS

32. Probatur secundò eadem pars: Id convenit Christo ut homini per gratiam unionis formaliter, quod per se & formaliter petitur ab unione hypostatica humanitatis ad Verbum: Sed per se petitur ab hac unione Verbum, ut est filius naturalis Dei: Ergo Christus ut homo est filius Dei naturalis formaliter, per gratiam unionis. Major patet, Minor probatur. Unio hypostatica humanitatis ad Verbum, per se petit illam unire Verbo Dei, ut subsistens in natura divina, per generationem ipsi communicata: Sed Verbum, ut sic subsistens, est filius Dei naturalis: Ergo unio humanitatis ad Verbum, per se petit Verbum ut est filius naturalis Dei.

33. Confirmatur: Licet unio non fuerit facta in natura, nec immediatè ad naturam, mediatè tamen fuit ad illam terminata: Sed non ad naturam ut communem tribus personis: Ergo ad illam ut in secunda persona existentem: At Deitas, ut est in secunda persona, per generationem existit: Ergo per se petitur ab unione hypostatica, quod humanitas uniat mediatè cum natura divina, ut per generationem Verbo communicata, & consequenter per se petit Verbum, ut est filius naturalis Dei.

34. Confirmatur ampliùs: Unio hypostatica id petit per se formaliter, quod per se intentum fuit ex vi Incarnationis Verbi: At ex vi Incarnationis, non solum fuit per se intentum, quod Verbum Dei esset homo, sed etiam & principaliter, quod hic homo, signato Christo, esset Deus: Ergo unio hypostatica hoc etiam petit per se: Sed non quod esset Deus communis tribus personis: Ergo quod esset Deus deitate prout habità per generationem, & consequenter per se petitur ab unione hypostatica Verbum prout est filius naturalis Dei. Id magis patebit ex dicendis disputatione sequenti, ubi ostendemus, Christum ut hominem propriè fuisse prædestinatum ad esse filium Dei naturalem, juxta illud Apostoli ad Roman. 1. *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei in virtute.*

35. Deinde secunda pars conclusionis probatur: Denominatio filij non convenit in recto naturæ, sed personæ, ut articulo præcedenti ostendimus: Ergo Christus, in quantum homo, est filius naturalis Dei, ly *in quantum* determinante non humanitatem in recto, sed suppositum in humanitate subsistens, naturà ingrediente in obliquo.

36. Quod autem Christus ut homo non sit filius Dei naturalis ut subsistens in humanitate, ly *ut* sumpto reduplicativè, sic ostenditur. Christum ut in humanitate subsistentem, esse reduplicativè filium Dei naturalem, est esse filium naturalem Dei, quia in humanitate subsistit: At quavis Christus ut homo sit filius naturalis Dei, hoc tamen non habet, quia in humanitate subsistit, sed quia subsistit in divinitate: Ergo ut subsistens in humana natura non est filius Dei naturalis formaliter, ly *ut* reduplicativè sumpto.

37. Ex quo probata manet ultima pars: Christus enim in quantum homo est filius Dei naturalis formaliter, ut in prima parte conclusionis ostendimus: Sed in quantum homo non est filius Dei naturalis formaliter, ly *in quantum* sumpto reduplicativè, ut patet ex jam dictis: Ergo in quantum homo est filius Dei naturalis formaliter, ly *in quantum* sumpto specificativè.

38. Confirmatur: Christum in quantum hominem esse filium Dei naturalem, ly *in quantum* sumpto specificativè, nihil aliud est, quam quod ut ho-

mo sit subiectum capax denominationis filij naturalis formaliter: sicut Petrum in quantum capillatum esse crispum in sensu specificativo, nihil aliud significat, quam quod Petrus secundum capillos sit capax suscipiendi crispitudinem, ut docetur in summis: Sed Christus, in quantum homo, seu ut subsistens in humanitate, est subiectum capax denominationis filij Dei naturalis formaliter, ut ex solutione argumentorum patebit: Ergo in quantum homo, est filius Dei naturalis, ly *in quantum* sumpto specificativè.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem nullum militat argumentum alicujus momenti, sed contra secundam objicitur: Ut de Christo in quantum homine verificetur esse filium Dei naturalem formaliter, requiritur quod hypostasis Verbi, sub conceptu filiationis formaliter, uniat humanitati: Sed non sic ei unitur: Ergo Christus ut homo non est filius Dei naturalis formaliter. Major patet, Minor in qua est difficultas probatur primò. Filiatio Verbi est formaliter relatio: Sed filiatio Verbi non unitur humanitati formaliter sub conceptu relationis, aliàs illam constitueret relatum: Ergo non unitur illi formaliter ut filiatio.

Secundò, Cui non unitur fundamentum filiationis formaliter, nec formaliter unitur filiatio: Sed fundamentum filiationis Verbi, nimirum passiva generatio, non unitur humanitati Christi formaliter, aliàs illam constitueret genitam generatione divinà: Ergo filiatio Verbi non unitur humanitati, sub conceptu filiationis formaliter.

Tertiò, Si Pater humanitatem assumeret, non uniretur formaliter humanitati assumptæ, sub conceptu Patris, aliàs ut homo esset formaliter Pater, quod est falsum, nam ut homo nullum filium generaret: Ergo pariter Verbum assumens humanitatem, non unitur illi sub ratione filij formaliter.

Quartò, In secunda persona non solum reperitur relatio filiationis ad Patrem generantem, sed etiam relatio Verbi ad Patrem dicentem, & imaginis ad Patrem à Verbo representatum: At secunda persona non unitur humanitati formaliter, sub ratione Verbi & imaginis: Ergo nec sub conceptu filiationis.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem; ad cujus primam probationem, nego etiam Minorem, filiatio enim Verbi unitur humanitati sub conceptu relationis formaliter: nec ex hoc sequitur quod constituat humanitatem relatum, quia humanitas hujus effectus est incapax; sicut nec sequitur quod constituat deitatem relatum, licet illi uniat formaliter sub conceptu relationis, quia huius effectus deitas capax non est. Unde si nonnunquam in hoc Tractatu, vel alibi, diximus subsistentiam Verbi uniri humanitati duntaxat sub ratione formæ hypostaticæ, non verò sub conceptu formæ relativæ, hoc intelligendum est, quantum ad denominationem relativam filiationis, quam subsistentia Verbi non tribuit humanitati assumptæ, ob incapacitatem ejus.

Ad secundam, concessa Majori, nego Minorem, verè enim generatio passiva, quæ est fundamentum proximum filiationis Verbi Divini, unitur humanitati: ex hoc tamen non sequitur

quod generatio passiva constituat genitum humanitatem, sed solum quod Verbum personaliter unitum humanitati, sit à Patre genitum æternæ generatione.

65. Dices, Ut passiva generatio uniatur humanitati formaliter, saltem necessarium est, quod Christus ut subsistens in humanitate formaliter, sit à Patre genitus æternæ generatione: Sed hoc non verificatur: Ergo generatio Verbi passiva, non unitur humanitati Christi formaliter. Major patet, Minor probatur. Christus ut homo non est genitus æternæ generatione ab æterno, aliàs ut homo ab æterno existeret; nec est genitus in tempore æternæ generatione, aliàs in tempore inceptisset generari: Ergo ut homo nullo modo potest in sensu formali dici genitus à Deo æternæ generatione.

66. Respondeo distinguendo secundam partem Antecedentis: Non est genitus in tempore, ly in tempore determinante generationem, concedo Antecedens. Cadente supra complexum ex humanitate & Verbo, quod genitum est ab æterno, nego Antecedens, & Consequentiam.

Explicatur solutio: Sicut Christus ut homo in tempore subsistit per subsistentiam æternam, in tempore unitam humanitati, & in tempore Christus ut homo est Deus, & filius Dei, per deitatem & filiationem æternam, humanitati temporaliter unitam. Ita ut homo in tempore est genitus per generationem æternam temporaliter ipsi unitam. Et sicut ad veritatem istius propositionis, *Christus ut homo in tempore est filius naturalis Dei*, non requiritur quod hæc propositio sit vera, *Christus incipit esse Deus*, sed quod filiatione naturalis fuerit in tempore unita humanitati, & quod factum sit, quod Verbum ut subsistens in humanitate, sit filius naturalis Dei, factione cadente super complexum. Ita ut hæc propositio sit vera, *Christus ut homo est in tempore genitus à Deo*, non est necessarium quod Christi generatio incipiat in tempore existere, sed quod in tempore facta sit unio humanitatis ad Verbum quatenus genitum, & quod factum sit ut Verbum, quatenus subsistens in humanitate, sit genitum.

67. Ad tertiam probationem Minoris principalis, nego Antecedens, si enim prima persona sanctissima Trinitatis humanitatem assumeret, esset, in quantum homo, Pater æterni Verbi, per gratiam unionis, sicut modò Christus, ut homo, est per gratiam unionis filius æterni Patris; & sicut Christus, ut homo, est genitus à Deo per generationem æternam, in tempore humanitati unitam: ita in hypothesi data, Pater ut homo esset generans filium, per æternam generationem, in tempore unitam humanitati.

68. Ad quartam, concessa Majori, nego Minorem, etenim Christus ut homo est filius Dei naturalis formaliter, quia humanitas per unionem hypostaticam trahitur ad esse Verbi in unitate personæ, quod formaliter est filius Dei naturalis: cum ergo Filius etiam sit Verbum formaliter & imago Patris: non est cur de Christo ut homine non prædicetur formaliter, esse pariter per gratiam unionis Verbum & imaginem Patris.

§. III.

Duo corollaria notat digna.

69. **E**X dictis inferes primò, Christum ut hominem, non esse filium naturalem sui, vel Spiritus Sancti.

A ritus Sancti, sed solius Patris æterni.

Pater hoc corollarium: Nam Christus ut homo est filius naturalis Dei, per filiationem fundatam in generatione æterna, ut docet D. Thomas infra quæst. 31. art. 3. & supra ostensum est: Sed generatio æterna nequit alium terminum, quàm æternum Patrem respicere: Ergo Christus ut homo, solum Patris æterni filius naturalis est.

B Confirmatur: Filiatio super aliquam actionem fundata, solum respicit pro termino illius actionis principium: Sed solus Pater est principium æternæ generationis, super quam filiatione naturalis Christi ut hominis fundatur: Ergo solum Patrem æternum ut terminum respicit, subindeque Christus ut homo, nec sui, nec Spiritus Sancti, sed solius Patris æterni filius naturalis est.

Inferes secundò: quòd si Spiritus Sanctus humanitatem assumeret, non esset ut homo filius naturalis, nec adoptivus Dei, esset tamen filius Dei filiatione fundatà in creatione humanitatis.

C Prima pars hujus corollarij probatur: Christus in quantum homo ideò solum est filius naturalis Dei, quia humanitas per unionem hypostaticam assumpta fuit ad unitatem personæ cum Verbo, quod est filius Dei naturalis: Sed humanitas à Spiritu Sancto assumpta, non uniretur filio Dei naturali, cum Spiritus Sanctus Filius Dei naturalis non sit: Ergo Spiritus Sanctus non esset quatenus homo Filius Dei naturalis.

Secunda etiam pars facile suaderi potest: Nam adoptio, ut articulo præcedenti ostendimus, petit extraneitatem personæ, id est personam distinctam ab adoptante, & non habentem ab intrinseco ius ad hereditatem: Sed Spiritus Sanctus, ut homo, non esset extranea persona à Deo, cum non esset personaliter distinctus à seipso, ut in deitate subsistente, jusque ab intrinseco haberet ad hereditatem Dei: Ergo ut homo, filius adoptivus non esset.

D Denique tertia pars hujus corollarij probatur: Ideò solum Christus ut homo non est filius Dei, ratione creationis, quia est perfectè filius ratione generationis æternæ: id autem quod tale dicitur secundum perfectam rationem, non potest dici tale secundum rationem imperfectam & analogam, ut docet D. Thomas infra quæst. 32. art. 3. Sed hæc ratio in Spiritu Sancto locum non habet, cum non esset ut homo filius Dei naturalis: Ergo esset ut homo filius Dei ratione creationis.



E DISPUTATIO XXIV.

De prædestinatione Christi.

Ad quæstionem 24. Divi Thomæ.

AB SOLUTA disputatione de filiatione Christi, & ab ipso exclusà filiatione Dei adoptivà, & admisà naturali, consequens est, ut de ejus prædestinatione, ex qua ut homo habuit esse filium Dei naturalem, differamus, & difficultates aliquas quæ circa illam occurrunt, breviter resolvamus, ac tandem huic tractatui finem imponamus.

SSff ij